

Elenchus Philologicus Quo Praecipua Quae Circa Textum Et Versiones Sacrae Scripturae Disputari Solent Inter Philologos Breviter Indicantur : In Usum Studiosae Iuventutis

Lipsiae: Titius, [ca. 1715]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819700010>

Druck Freier  Zugang



F. C. - 3453.

ELENCHVS
PHILOLOGICVS

qvo

PRAECIPVA QVAE CIRCA
TEXTVM ET VERSIONES
SACRAE SCRIPTVRAE
DISPVTVRI SOLENT
INTER PHILOGOS
BREVITER INDICANTVR
IN VSVM
STVDIOSAE IVENTVTIS

LIPSAE
TYPIS IMMANVELIS TITII

PHILOGIS
PHILOGIS

AD RECIPIENDAM QUAE CIRCA
TEXTUM ET VERSIONES
SARAE SCRIPTURAE

DISPUTATI SOLENT
INTER PHILOGOS
BREVIUS INICANTUR

IN ANNO
STUDIOSAE INVENTIVIS

LIPSIÆ
TYPIS IMMANUELIS TITII



CAPVT I.

De

LINGVA HEBRAEA.

I



Odex facer V. T. conscriptus est maximam partem lingua *Hebraea*, quae ita appellatur a populo, apud quem in vsu fuit, qui et *Judaei*, et *Israelitae* et *Hebraei* dicuntur.

II Nomen *Hebraei* (עברי) primum legitur datum fuisse *Abrahamo Gen. XIV, 13.* sed qua de caussa, solet disquiri: num a עבר, i. quod transgressus olim fuisset praecipitum Dei; vel 2. quod flumen *Euphratem*, vel 3. *Jordanem* jussu DEI transiuisset; vel 4. quod עברי quasi transluuialis dictus fit; vel denique 5. quod עברי appelletur ab עבר pronepote *Semi*, e cujus posteris erat et cujus religionem pietatemque in gente sua restaurauit.

III Antiquitas Linguae *Hebraeae* ab ipso generis humani exordio repetenda est, quando et Deus ipse rebus quibusdam nomina *Hebraica* imposuit *Gen. I, 5. 8. 10.* et deinceps *Adamus Gen. II, 19.* qui vt et posteris ejus, (quorum nomina propria ex hac lingua de-

A 2

sumta

sumta sunt) hoc sermone vsi sunt vsque ad confusionem linguarum *Babylonicam*, *Gen. XI, 1.*

IV Vnde summo jure omnium linguarum censetur, ad quam reliquae potius tanquam ad fontem suum debent deduci, quam illa ex aliis deriuari.

V Diutissime usum hujus linguae apud *Judaeos* obtinuisse liquet ex eo, quod pura et incorrupta permanserit vsque ad captiuitatem *Babylonicam* et paullo vltra; imo donec a *Syris* oppressi dialectum *Aramaeam* sermone *Hebraeo* permiscuerunt, qua vsos esse *Hebraeos* tempore *Christi* et *Apostolorum* scripta N. T. demonstrant.

VI Tandem vero desiit *Lingua Hebraea* *Judaeis* vernacula esse et vix vllus liber pure *Hebraeus*, excepto V. T. iis permansit; in cuius itaque interpretatione saepe ad linguas affines, quas verius linguae *Hebraeae* dialectos dixeris, *Chaldaeam*, *Syram*, *Samaritanam*, *Arabicam* aliasque et versiones antiquas confugiendum est.

VII De litteris *Hebraeis* quaeri solet, num illae, quibus vtuntur *Samaritani*, verae sint et antiquissimae, quae olim apud *Judaeos* fuerunt in vsu; an vero hae quadratae, quibus *biblia sua* *Judaei* hodie describunt.

VIII De punctis vocalibus non minor est inter philologos controuersia, num ea ab aliis quam scriptoribus sacris et longe post adscripta sint; quorum nonnulli *Ezram* et viros *Synagogae Magnae*, alii *Masorethas Tiberienses*, alii denique recentiores quosdam auctores

ctores faciunt; an vero ab ipsis scriptoribus librorum sacrorum simul cum litteris consignata et ejusdem cum illis auctoritatis sint.

IX Circa accentus quoque, a quorum situ saepe vocales ipsae et sensus locorum dependet, disputatur, an et hi eosdem auctores habeant, quos litterae aut puncta vocalia; an vero serius ab aliis adjecta sint.

X Hujus quoque loci est disquisitio de relatione, quae inter litteras et puncta vocum in V. T. intercedit; num scilicet vocales litteris adscriptae semper et ubique pertineant ad illas litteras, quibus adjunguntur: an vero puncta quaedam ad alias voces, quam in textu scribuntur, referri debeant: Cui quaestioni nomen Dei sanctissimum, יהוה, חריהם 2. Reg. XVIII, 27. et שיניהם loco citato et pauca alia occasionem dederunt.

CAPVT II. DE MASORA.

I

Masora est Crisis circa textum *Hebraicum* sacri codicis, ejusque voces et litteras ab antiquis *Hebraeis* instituta, qui ab illa *Masoreticae* appellantur.

II Quidam ipsis 1. librorum scriptoribus observationes *Masoreticas* adscribunt; nonnulli 2. *Ezrae*; alii 3. *Judaeis Tiberiensibus*; alii denique 4. non vna aetate illos vixisse opinantur; 5. sed notas illas *Masoreticas* variis

temporibus collectas et incertum esse, quando sacro Codici sint adjectae.

III *Vtilitas Masorae* consistit in illustratione locorum quorundam et conseruatione integritatis s. scripturae, quo praecipue facit eorum studium circa 1. versus 2. voces et 3. litteras.

IV Circa *versus* notando eorum numerum, et si qui singulare quidpiam et obseruatu dignum respectu vocum continerent. Circa *voces* indicando similiter numerum, situm et conjunctionem cum proximis; circa *litteras*, quae aut superfluae aut deficere videantur.

V Huc faciunt potissimum notae illae marginales, quae aliam lectionem exhibent, quam in textu legitur. Illae קרי *Keri* dicuntur, hae כתיב *Ketibb*.

VI Quidam 1. דֹּ כתיב praefereunt vbi que קרי טו, nonnulli 2. דֹּ קרי esse correctionem דֹּ כתיב autumant, alii denique 3. utrumque דֹּ קרי et דֹּ כתיב habere auctoritatem suam et variantes codicum quorundam lectiones esse censent, quarum alterutra veram lectionem contineat, quamuis non absque graui caussa a כתיב velint discedere.

VII Porro et litteras adnotarunt maiores reliquis, alias minores, inuersas, suspensas, et puncto vno vel pluribus (incertum fere vbi que quam ob causam) insignitas.

VIII Solet etiam *Masoretis* attribui תיקון סופרים *Tikkun Sopherim*, quo nomine appellatur *correctio scribarum*, qua 18. loca scri-

Scripturae s. notantur, in quibus aliter esse scriptum volunt honestatis et reuerentiae causa, *κατ' ἐπιφύλαξιν*, quam scribendum fuerat, quamuis alii ad *Mosen* ipsosque auctores sacros eas referendas existiment.

IX Affine quid est *סופרים עטור* *Ittur Sopherim*, ablatio scribarum, qua littera γ quinque locis tollitur, ubi et adesse et abesse poterat sine notabili sensus immutatione.

X Quare (vt alia praetereamus) quum tanta fuerit *Iudaeorum* cura in conseruanda sacri codicis, ipsis concrediti integritate, frustra fingitur, eos biblia corrupisse vel in voce *כארי* *Pf. XXII, 17.* vel aliis; aut permittere potuisse, vt labes quaedam sanctissimis voluminibus adaspergeretur, aut vel littera vel vox, nedum integri versiculi aut libri ex iis perirent.

C A P V T I I I

De

DIVISIONE VETERIS TESTAMENTI.

Complectitur codex sacer V. T. vti apud *Iudaeos* est, *libros 24.* eosdem, quos et nos pro diuinis agnoscimus, licet calculum aliter ac nos ineant.

II Libros illos, qui graece primo conscripti sunt et *apocryphi* nuncupantur, pariter rejiciunt *Iudaei*, licet testimonia ex iis citent, nequaquam tamen paris auctoritatis cum iis, quae ex libris *Canonicis* petuntur.

A 4

III Di-

III Diuiditur codex V. T. in tres partes 1. תורה *Pentateuchum*, 2. נביאים *Prophetas*, 3. כתובים *Hagiographa*, quae antiquissima diuisio est.

IV *Pentateuchus* diuiditur in *Paraschas* maiores 54. vel vt alii 55. quarum singulae singulis sabbatis populo in *Synagogis* praelleguntur, ita tamen vt praelectis aliquando duabus paraschis totius *Pentateuchi* lectio spatio vnus anni absoluat.

V Quum harum parascharum praelectio *Iudaeis* aliquo tempore esset interdicta ab *Antiocho Epiphane*, Rege *Syriae*, excerpta quaedam ex scriptis propheticis non dissimilis argumenti collegerunt, quibus sibi illa in memoriam reuocabant, quae istis sabbatis legere in *Pentateucho* consueuerant, quae *הפטרות הבפhtaroth* dicuntur.

VI *Paraschae* minores *Pentateuchi* sunt numero 10669. quarum aliae a situ spatii vacui, quod inter finem versus vnus et initium alterius relinquuntur, *סתומות* clausae, aliae *פתוחות* apertae dicuntur.

VII Antiqua etiam diuisio est *Pentateuchi* in capita et versus, quam *Christiani* sequuntur, ita tamen, vt non semper cum *Iudaeis* conueniant, qui et ipsi inter se hac de re disputant.

VIII *Prophetarum* libri diuiduntur in *ראשונים* priores, i. e. libros *Iosuae*, *Iudicum*, *Samuelis* et *Regum*, et *אחרונים* posteriores, *Iesaiam*, *Ieremiam*, *Ezechielem*, et duodecim minores.

IX Da-

IX *Daniel* enim ex hoc numero a Iudaeis expungitur et cum eo, quod reliquum est librorum sacrorum, sub Cethubhim siue *hagiographis* continetur.

C A P V T I V.

De

VERSIONE GRAECA SEV ALEXANDRINA.

I

INter versiones antiquas V. T. celebris est *graeca*, qua tamen integra hodie non fruimur, quaeque vulgo 70. Interpretum dici consuevit.

II Verum non difficile demonstratu est, fictam esse totam illam de 70. Interpretibus eorumque cellulis ac stupendo in omnibus consensu fabulam et sub falso *Aristeae* nomine editam ad conciliandam huic versioni auctoritatem.

III Tutius creditur, illam *Alexandriae* in *Aegypto* concinnatam esse a *Iudaeis* illic commorantibus, quod testimonium *Talmudistarum* et styli vocesque probant: et nonnisi quinque libros *Mosis* primo circa tempora *Ptolomaei Lagi*, nequaquam tamen ejus jussu aut rogatu translatos esse.

IV Aegerime tulerunt *Iudaei Palaestini* concinnationem hujus versionis, in qua XIII loca in gratiam Regis *Ptolomaei* ab interpretibus fuisse immutata dicunt et annuo jejunio diem notarunt.

V Postea et reliqui libri sacri codicis videntur

A 5

dentur

dentur fuisse in linguam graecam translati, non tamen ab vno auctore, quod earundem vocum diuersa expositio suadet.

VI Recedit haec versio a textu *Hebraico* plurimis in locis, et nonnunquam Pentateuchum *Samaritanum* sequitur, quod forte 1. inter alios codices etiam vsi sint interpretes veteri illo *Samaritano*, quem *Patres* citant, 2. vel quod ex versione duplici aut pluribus graecis (quarum aliae *Hebraeos* aliae *Samariticos* codices sequebantur) vna haec, quam hodie habemus, postea conflata sit.

VII Nonnunquam etiam graues errores committit, et codicibus minus accuratis vsos fuisse interpretes geniumque linguae *Hebraicae* ignorasse liquido ostendit.

VIII Quare nec aequiparanda est fonti ipsi *Hebraeo*, nedum ei praeponenda, quamuis non diffiteamur scriptores N. T. saepe illa uti, etiam in iis, in quibus ab *Hebraeo* textu recedit; quod tamen non est perpetuum, quum et neglecta versione graeca textum *Hebraicum* aliquando sequantur.

C A P V T V.

De

PARAPHRASIBVS CHALDAICIS.

I

Chaldaicae Paraphrasae V.T. תרגומים *Targumim* dici consueuerunt et quatuor praecipue commemorantur, 1. *Ionathanis*, 2. *Onkelosi*, 3. incerti in *hagiographa* et 4. *Hierosolymitanum*.

II Io-

II *Jonathan Vzielis* filius, discipulus celeberrimi *Hillelis*, dicitur *Targum* in *Prophetas* exarasse; ante cujus aetatem num alia versio *Chaldaica* extiterit quae postea periit, disputatur.

III Eundem vero non transtulisse *Pentateuchum*, aut, si transtulit, ejus non esse illud *Targum* legis, quod ejus nomen praefert, sed interpretis recentioris, multa evincunt.

IV *Onkelos* (qui non videtur idem cum *Aquila* interprete graeco aut alio *Onkeloso*, sororio *Vespasiani* fuisse) factus Profelytus tempore *Hillelis* *Pentateuchum* transtulit.

V Quis *Targum* in hagiographa scripserit incertum est, aut quo tempore vixerit. Vulgo dicitur fuisse *R. Iose* vel *Ioseph Luseus*.

VI *Targum Hierosolymitanum* complectitur solum *Pentateuchum*. At nec hoc citatur, cui auctori et num vni vel pluribus et cui aetati debeatur. Nec supersunt nisi quaedam ejus fragmenta.

VII Praeter has est et paraphrasis quinque *מגלות* seu *libellorum*, quae tamen non meretur, ut de illa vel auctore ejus multum firmus solliciti.

VIII Usus harum Paraphrasium insignis est in explicatione veri et genuini sensus multarum vocum Hebraearum, sic ut doctores *Talmudici* aliquando fateri cogantur, nisi *Targum* esset, se ignoraturos vocum significationes.

CAPVT VI.

De

PENTATEVCHO SAMARITANO.

I

Pentateuchus Samaritanus, quod volumen solum pro diuino gens ista agnoscit, neglectis reliquis, et cujus memoria post *Hieronymum* fere deleta erat, postquam seculo praecedente *Europa* innotuit, multis controuersis occasionem dedit.

II Est is duplex, alter litteris *Samaritanis* exaratus at lingua *Hebraica*, quique a Codice *Iudaico* vix discrepat; et versionem continet Pentateuchi, non caractere solum, sed et lingua *Samaritana*.

III Versionem hanc *Samaritanam* in multis recedere ab *Hebraeo* textu et corruptam atque ex hoc concinnatam esse, non hunc ex illa certum est: vt injuria praeferre eam codici *Hebraeo* quidam viri eruditi sustinuerint.

CAPVT VII.

De

CABBALA ET TALMVDE.

I

Multum praesidii *Iudaei* collocant ad scripturae s. interpretationem in *Kabbala* כבלה per quam multa mysteria ex litterarum valore in numeris, earundem separatione et transpositione venantur.

II Hujus licet variae species sint, ad tres tamen possunt referri: I. *Gematriam*, quae ad

ad numeros e litteris resultantes attendit *II. Notaricon*, quae singulas vocis vnus litteras pro totidem initialibus nouarum vocum habet et *III. Temura*, quae litteras varie disponit et permutat.

III Mysticae hujus doctrinae magna est apud Iudaeos veneratio: et inter *Christianos* non desunt, qui ejus specimina quaedam in ipsa scriptura inueniri arbitrantur.

IV Ad sacri codicis intellectum et illustrationem multum quoque conferre volunt *Iudaei Rabbanitae legem oralem תורה שבעל־פה* quae a Deo *Mosi* in monte *Sinai* tradita et ab illo *Iosuae* et ab hoc *Senioribus* ore reuelata atque porro propagata dicitur; donec *R. Iuda sanctus*, qui sub imperio *ANTONINI PII* vixisse fertur, *seculo* post *C. N. secundo* circa medium scriptis eam consignauit, quae *Mischna* appellatur.

V Est *Mischna* liber antiquissimus, aut saltem inter antiquissimos, qui hodie in manibus *Iudaeorum* versantur, diuiditurque in sex סדרים seu *ordines*, et hi in מסכתות siue *tractatus*.

VI Ad hanc illustrandam concinnata est a *R. Iochanan* 300. circiter annis (juxta computum *Maimonidis*) post excidium templi *Gemara* dicta *Hierosolymitana*; et 100. annis post a *Raf Ase Gemara Babylonica*. Quae duplex *Gemara* vna cum *Mischna* efficiunt integrum *Talmud*, quod circa annum a *C. N. 800.* plene consummatum et editum fuit.

CAPVT VIII.

De

NOVO TESTAMENTO.

I

NOuum Testamentum graeco sermone tunc vſitatiffimo conſcriptum multos continet Hebraiſmos: ſicut et vocum et integrarum locutionum ſenſus ſaepe ex vſu et modo loquendi *Hebraeorum* eo tempore hauriri debet: qui cum praeterea vocibus *Latinis, Chaldaicis* et *Syriacis* vterentur, et has quoque N. T. ſcriptores ſuis ſcriptis inſperſerunt.

II Diuiſio eius in capita, qua hodie vti- mur, ſeculo a C. N. 13. facta eſſe creditur; at incertus auctor eſt: capitum vero diſtinctio in verſus ſive *τιμματα* debetur *Roberto Stephano, Heinrici patri*, qui ante 1 $\frac{1}{2}$. ſecul. hanc operam in ſe ſuſcepit.

III Inter verſiones N. Testamenti eminet Syriaca, quae omnium videtur eſſe anti- quiſſima; et ob affinitatem, quam habet cum vulgari ſermone *Hebraeorum* illius aevi, quo N. Testamentum ſcripſerunt, vtiliſſima ad in- dagandum ſenſum locorum quorundam diffi- cilium.

IV Praecipuae quaefiones de libris N. T. moueri ſolitae, ſunt: num *Euangelium Mat- thaei hebraice* primo conſcriptum ſit? num *Marci latine*? an *Paulus* auctor ſit epistolae ad *Hebraeos*, eamque primum lingua *Hebraica* exarauerit?

S.

D.

G.


15
נורה
בנים
uific
maj
guli
tur,
para
ann
10
Iuda
zioc
dan
gun
riar
Pen
hap
nur
qu
rius
וה
chi
qu
dae
dis
ים
Sas
Ies
mi

A B C D E F G H I J K L M N O Balance Q R

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Copyright 4/1999 YxyMaster GmbH www.yxymaster.com

VierFarbSelector Standard



es partes 1.
rophetas, 3.
quissima di-

Paraschas
ingulae sin-
prælegun-
ndo duabus
spatio vnus

n praelectio
dicta ab An-
cerpta quae
dissimilis ar-
la in memo-
tis legere in
ae הפטרות

teuchi sunt
spatii vacui,
nitium alte-
lausae, aliae

st Pentateu-
bristiani fe-
per cum lu-
r se hac de re

uiduntur in
ae, *Iudicum*,
posteriores,
et duodecim

IX Da-

IX *Daniel* enim ex hoc numero a Iudaeis expungitur et cum eo, quod reliquum est librorum sacrorum, sub Cethubhim siue *hagiographis* continetur.

C A P I T U L U M

V E R S U S

V



fic
eoru
confe
editam
ritatem.

III 1
Aegypto co
morantibus
rum et stylu
quinque libro
lomaeci Lagi, ne
rogatu translato

IV *Aegerrime* tulerunt *Iudaei Palaestini* concinnationem hujus versionis, in qua XIII loca in gratiam Regis *Ptolomaei* ab interpretibus fuisse immutata dicunt et annuo jejunio diem notarunt.

V Postea et reliqui libri sacri codicis videntur

A 5